NONNULLAE DE USU HYDROCONII OBSERVATIONES.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

VENIA ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE ADIPISCENDOS SCRIPSIT

ET DIE V. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCLXIII.

HORA XI.

UNA CUM THESIBUS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

RICHARDUS LAMBRECHT

BRANDENBURGENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

OTTO RISEL, CAND. MED.

GUILELMUS BAETGE, DR. MED.

HALIS SAXONUM.

FORMIS PLOETZIANIS.

PATRIS OPTIMI CARISSIMI

MANIBUS.

Versantur novissimis temporibus et qui medicinae rationem docent et medici practici et ii qui in academiis medicinae student in instrumento examinando ad morbos earum corporis humani partium, quae respirationi inserviunt, medendos attinente, dico „den Pulverisateur,“ sive ut alii dicunt hydroconium, quod primum a Sales-Girons anno 1859 academiae Lutetiae Parisiorum propositum praecipue commendatum est ad chronicos pulmonum morbos sanandos, deinde modificatum est a Matthieu, Waldenburg, aliis. Et recte quidem omnes oculos verterunt ad hanc rationem, qua medicamenta ad ipsam membranam pituitariam earum partium, quae respirationi inserviunt, afferuntur, id quod antea manco tantum modo, ut vaporum inhalatione, efficiebatur. Huius temporis autem therapia id maxime petit, ne morbi singulorum organorum eo quo antea solebant tractus intestinalis modo, sed ut localiter tractentur. Quae quidem methodus cum adhuc sit in cuniculis, nondum satis apparet quanti sit aestimanda, itaque maxime a futuris poposcendum est temporibus, ut multis experimentis iterum iterumque instituendis melius de hac re doceamur. Adhuc experimentis physiologicis, quae Demarquay et Leconte in animalibus fecerunt, chemica ratione cognitum est, cum solutione liquoris ferri sesquichlorati apparatu a Matthieu invento infusa sectionem fecissent, eam in intimos bronchiolos invasisse. Jidem et Schnitzler et Störck Vindo-

bonenses*) cum homines, qui fistula tracheali affecti erant, solutionem tannini inhalantes facerent linteolum liquore ferri sesquichlorati saturatum et fistulae appropinquatum notam illam reactionem ostendere observarunt. Experimenta autem therapeutica non eo duxerunt, ut certum quid decerni posset, et ab aliis in aliis morbis landantur aut reprobantur. Cum maxime ut iam supra diximus intersit de hac re multa fieri experimenta, quibus norma ac regula aliquo modo certa hydroconii adhibendi constituatur, etiam in nosocomio medico Halensi ab initio anni 1863 de illa re experimenta illo apparatu, qui a Waldenburg modificatus est, facta sunt, quibus partim mihi gratia et benignitate praeceptoris maxime venerandi viri illustrissimi Weber praeesse licuit. Et id quidem, quod ex illis experimentis cognovi, brevi exponere mihi proposui. Quamquam eorum numerus non est magnus, tamen nonnullis longum per tempus summopere incubui et de omnibus tanquam medius neque in alterius favorem inclinatus et expertus esse et iudicasse mihi videor. Facere non possum quin gratias agam doctori Mordtmann, qui me in hac re benignissime et liberalissime adiuvit.

Jam mihi liceat ut ad singulos quos observavi casus accedam, quorum nonullos accuratius exponam.

1) Emphysema pulmonum cum gravissimis asthmaticis tentationibus coniunctum. Dessmann, 34 annos natus, textor.

Inhalavit, et plerumque quidem solutiones tannini admixta aqua laurocerasi per sex menses, quo multo melior

---

*) cf. Nr. 45 des Wochenblattes der Zeitschrift der k. k. Gesellschaft der Aerzte in Wien.

aegri conditio, remissio et frequentiae et impetus tentationum effecta est.

Dessmann, qui fere semper aeger atque invalidus erat, pueritia scrophulosi affectus fuit. Pulmonum morbi saepe eum invaserunt, et prioribus quidem temporibus catarrhi bronchiales, qui praecipue tempore auctumni et veris exsistebant. Accesserunt aute quattuor annos tentationes asthmaticae tam graves, ut etiam per tempus illis vacuum aeger valde infirmus esset et labore desistere cogeretur. Interfuit autem initio spatium hebdomadis inter singulas tentationes; quae per sex dies durare solebant et tres vel qnattuor dies aegrum lecto affigebant. In iis dyspnoea exsistebat permagna, spiritus erat sibilans, multus crepitus et sonitus. Expectoratio inter tentationem impedita erat; cum autem remissio fieret, sputum exsistebat, quod initio copiosum, liquidum, postea viscidum erat. Etiam extra tentationes semper aegrotus spiritus difficultatem querebatur. Apta et diaetetica et therapeutica curatione frequentia tentationum paullulum adhuc deminuta est. Usus est adhuc vaporibus olei terebinth. et chloroformii, iis, quae vocantur „Strammoniumcigarren, emplastris cantharidum, sinapismis, setaceis, remediis narcoticis et illorum imprimis Opio, quod fere continuo erat adhibendum. Ex quo tempore autem inhalavit nullo alio usus est remedio.

Aeger speciem praebet pallidam, cyanoticam. Corporis nutritus tenuis, collum breve, eiusdem musculi contracti; exploratione thoracis emphysema diffusum cognoscitur; in urina neque albumen neque cylindri fibrini.

Aegrotus primum die 25. Febr. 63 per 15 minuta inhalat, in quo aliquoties pausare cogitur. Sentit se in pha-

rynge et larynge scabi, non tussire cogitur, nihil in pectore animadvertit. Auditur dum inhalat sibilus et strepitus.

die 26. Febr. aeger se paullo facilius respirare posse dicit. Perversus ille in pharynge et larynge sensus non diu remansit.

Quam hoc die veritus est tentationem imminentem non eum invasit. Inhalatio fit per 15 minuta, in qua aegrotus id quod inhalat usque ad medium sternum pervenire sentit.

die 27. Febr. peiore utitur conditione; respiratio molestior, quasi tentatione incipiente.

Tussis et sputum paucum, sudor in nocte fuit multus. Initio sibilus, qui evanescit, postquam aliquoties inhalavit. Pulsus par ante et post inhalationem. 20 min.*)

die 2. Mart: Tentatio quae imminebat non exstitit. Aegrotus tenui tussi affectus est, satis facile respirat. 20 min.

die 3. Mart: Eadem quae heri fuit conditio remansit. Optima nocturna quiete usus aeger fore ut plane sanetur sperat.

die 4. Mart. rursus tentatio exstitura esse videtur, cum iam spiritus angustus factus sit, omnino angor aegrum invaserit; neque vero haec symptomata eandem vim habent quam antea in tentationibus. Dyspnoea praecipue gravis fuit nocte praeterita, qua etiam multus in larynge sibilus animadversus est; sudore affectus est aeger permagno. Initio inhalandi multus sibilus, qui paullatim evanescens crebrior et fortior fit si per quod tempus inhalando desistitur, sub finem vero inhalationis plane evanescit. 30. min.

---

*) Brevitatis causa tempus inhalandi semper indicatur ut hoc loco.

die 5. Mart: Quamquam aegrotus se miserius habet, tamen pristinarum tentationum vis nondum adaequata est. Nox fuit turbata, languor magnus evenit. Sibilus iam procul auditur, qui quidem, postquam per 35 min. inhalatum est, nondum plane evanuit, sed multo remisit.

die 6. Mart. respiratio liberior quam pridie, sibilus adhuc multus, tussis crebrior, sputum exiguum, griseum. 10 min.

Eodem die post meridiem cum iterum aegrotus inhalaret, difficultas respirandi fere omnino evanuit, exigua tussis et sputum. 15. min.

die 7. Mart: Aeger bono usus est somno, sputum copiosius factum est. 20 min.

die 8. Mart. tentatio exstitit, qua, cum esset non plane tanta, quantae pristinae, tamen primum ex quo tempore inhalavit lecto per duos dies aeger affixus est. Postea autem tussis et expectoratio exstitit non nimia, sputa liquida fuerunt neque ut antea viscida facta sunt. Die 10. Mart. quamquam in meliore erat conditione tamen non ad inhalandum venit propter tempestatis inopportunitatem.

die 11. Mart. iterum per 15 min. aegrotus inhalat, in quo adhuc aliquid sibili et strepitus auditur. Difficultas spirandi aliqua remansit.

die 12. Mart. Bona aegri conditio.

die 13. Mart. spiritus paullo angustior, expectoratio facilis, sputum exiguum. Sibilus multus, cuius, postquam 20 min. inhalavit, nondum remissio facta est. Quamobrem ad inhalationem usus sum solutione Morph. acet. gr. X in aq. font. ℥ X. Quam cum 15 min. aeger inhalasset ne hac quidem effectum est, ut sibili eximia remissio fieret.

die 14. Mart. in paullo meliore conditione aeger est, tussis satis multa sine expectoratione. Sibilus nullus nisi initio inhalandi. 15 min.

Insequentibus diebus status aegri magis magisque in bonum convertitur, difficultas spirandi fere nulla, tussis exigua. Inhalabat sine ulla opera 15 min. quotidie. Quae conditio eadem remansit usque âd diem 2. Aprilis. Hoc enim die tentatione affectus est, cuius, aegro non in lecto esse coacto, iam post duos dies finis factus est, ex qua re satis apparet, multo eam faciliorem fuisse quam pristinae. Eodem modo quo antea inhalari cum coeptum esset, hoc tempore solutione Benzoës ʒ 1 Spirit. Vini q. s. in aq. comme libr. $^1/_2$ usi sumus, sed cum ipse aeger precibus nos adiret, rediimus ad eam qua antea uti solebamus acidi tannici cui aqua laurocerasi admixta erat in aq. font. solutionem (ʒ 1 in ℥ VIII). Exstitit die 5. Apr. tentatio tam exigua, ut insequenti die aeger iam ad inhalandum ire posset et die 7. Apr. euphoria esset perfecta. Et id quidem commemorandum est, sibilum, cum usque ad diem 2. Apr. creber fuisset, et nunquam in tentationibus abfuisset, ex hoc tempore, ne die 5. et 6. Apr. quidem, non rursus exstitisse.

die 8. Apr.: Optima aegri conditio.

Ex quo die intervallo inhalandi facto cum apparatum reparari necesse esset, die 24. Apr. aegrotus se praesentavit neque ulla fere respirandi molestia se vexari dixit. Rediit autem die 13. Maii ad domum clinicam et nos precibus adiit, ut rursus hydroconio uti sibi liceret, cum, quamquam tentatio quidem nulla eum invaserat, tamen angustiorem fieri respirationem animadvertisset nisi inhalaret. Neque vero sibilus hoc

die auditur neque non multo facilius quam antea et respirare et inhalare aeger videtur. 15 min.

die 15. Maii aeger fere nullam queritur molestiam. Solutionem aluminis per 10 min. inhalat.

die 17. Maii angor aliquis exstitit, respiratio difficilior, praecipue nocte praeterita. Tussis et expectoratio exigua.

die 24. Maii, cum usque ad illum diem aegrotus ad inhalandum non venisset, tentatione affectus est tanta, quanta non ab Februario mense; tentatio, gravissima per duos dies, aegrum per quattuor dies quominus e domo excederet impedivit. Dessmann ipse cum huius tentationis culpam in aluminis solutionem conferret, et nobis quoque mirum esset, unde illa estitisset, die 29. Maii pristina illa tannini solutione usi sumus. 15 min.

die 30. Maii in meliorem aeger redactus est conditionem, fere nulla respirandi difficultas. Inhalat 10 min. sine sibilo.

die 5. Junii idem status qui die 30. Maii, idem die 7. Junii. 5. min.

die 8. Junii rursus tentatio accessura videtur, quae eo, quod hoc et postero die inhalat, quominus erumpat prohibita esse videtur.

Ex quo tempore, ut brevi dicamus, usque ad sextum diem Julii nulla rediit tentatio, cum alternis diebus inhalationes fierent. Quamquam non plane liber erat per hoc totum tempus respirationis molestiis, tamen, semper illis inhalando remotis, satis bona conditione utebatur.

Epicrisis:

Dessmann, cum antea inter gravissimas tentationes sex dies durantes hebdomas tantum interesset, cum etiam per tem-

pus illis vacuum respirationis molestiae essent, hydroconio ita levatus est, ut iam initio inhalandi respiratio facilior fieret, tentationes magis magisque leviores redderentur, non tam saepe redirent, nonnunquam praeciderentur, extremo inhalandi tempore omnino evanescerent. Sed cum, aut antea diximus, gravior exstitisset tentatio, quod complures dies non erat inhalatum, haec sanandi ratio etiam in futurum continuanda esse videtur; quo fit, ut adhuc dicere non possimus, plane esse aegrotum hydroconio usum tentationibus asthmaticis liberatum.

2) Emphysema pulmonum cum magnis asthmaticis molestiis conniunctum.

Femina Salamon, 66 annos nata, iam ex annis minime 15 queritur tussim et dyspnoeam interdum et potissimum noctu tantam, ut somnus maxime sit turbatus, suffocari se existimet, prona in lecto sedere cogatur, rhonchi multi sibilantes in respiratione exsistant. Sputa fere nulla eiiciebantur nisi matutino tempore pauca, purulenta. Quibus molestiis factum est, ut vires valde eam deficerent.

Adspectum praebet aegra talem qualis esse solet eorum, qui longum per tempus magno pulmonum emphysemate affecti sunt. Facies cyanotica, musculi colli valde contracti, thorax dolii similis („fassförmig“), respiratio difficilis, spatia intercostalia costis adaequata, fossae supra-et infraclaviculares non exstant; hepar est depressum, cor est ut nos dicimus „überlagert,“ sonus percussionis tympaniticus, audiuntur rhonchi sonori et sibilantes. Ceterum aegra obesa. Alvi deiectiones ex longo tempore non nisi remediis fiunt.

Cum die 29. Maii primum aegra solutionem dilutiorem aluminis inhalaret, non longius quam tres minut. sustinuit, cum

et magnos ex eo capitis dolores vertiginemque perciperet, et dyspnoea quoque impediretur.

die 30. Maii nocte se non orthopnoea esse vexatam, oppressionem omnino minutam, expectorationem faciliorem factam esse edicit. Jam 5. min. hoc die solutionem extr. Opii ℈ j in ag. ℥ VIII inhalare potest.

die 1. Junii cum doloribus hebetibus totum caput usque in orbitas occupatum esset et congestiones ad caput ferrent, hoc die non qua pridie solutione, sed tannini admixta aqua laurocerasi usi sumus. Commemorandum vero est, dyspnoeam non rursus tantam, quantam antea, exstitisse. 5 min.

die 3. Jun.: Quae symptomata die 1. Jun. erant, evanuerunt. Remansit eadem melior dyspnoeae et tussis conditio. 5 min.

Cum ex hoc die usque ad diem 12. Jun. non inhalatum pervenisset aegra, semel noctu tentatione dyspnoica tanta affecta est, quantae antea fuerunt. 5 min.

die 15. Jun. rursus molestiae multo deminutae sunt. Expectoratio copiosior, sputa purulenta. Semper se optime habere aegra dicit quo die inhalaverit, sed negotiis impedita est, quominus omnes dies inhalare possit. Cum eadem sanandi ratio usque ad finem Junii mensis continuata esset, paullatim aegra eo venit, ut nocturna quiete uteretur bona, dyspnoea et tussis multo essent deminuta, expectoratio levis esset, vires magis magisque reficerentur.

3) Emphysema pulmonum, tentationes asthmaticae, hysteria, catarrhus uteri chronicus. Vidua Stops, 36 annos nata, ante septem annos marito morte defuncto, ex hoc tempore, cum metrorrhagiae, fluor albus, dolores in genitalibus ante-

cessissent, hysteria affecta est gravi. Accedebat fere eodem tempore tussis, quae initio vere et auctumno intensior erat, postea autem continua eadem vi exstabat, multam dyspnoeam faciebat; saepius tentationes asthmaticae molestissimae erant, quibus interdum suffocationis periculum afferebatur. Sputum aderat multum, album, spumosum, nonunquam flavum, cruentum. Nonnunquam bronchorrhagiae magnae exstiterunt. Dolores sentiebantur in larynge et in iis partibus ubi diaphragma adhaeret. Physicali thoracis exploratione in aegra pallida, infirmissima, lecto affixa emphysema diffusum pulmonum cognoscitur.

Per hebdomades sex hydroconio usa est, initio aquae laurocerasi dilutiore solutione, postea vero acido tannico qua soliti sumus quantitate. Effectus in hoc casu non tam perspicuus erat quam in reliquis, quia causa tentationum dyspnoicarum potissimum in uteri morbo pertinacissimo posita nobis esse videbatur. Cum vero hebdomades aliquot inhalasset et praeterea ferri acetici magnam quantitatem sumsisset, tentationes rarius evenerunt et leniores factae sunt. Tussis non tam fera, expectoratio facilior, sputorum copia parcior. Die demum 15 mensis Augusti in insulam quae corvorum dicitur vecta sine ullo insequenti incommodo saltavit et naturae deliciis indulsit, quibus septem annos abhinc caruerat.

4) Emphysema pulmonum, molestiae asthmaticae.

Hunold, 35 annos natus, vestificus, ex hieme anni 1862 saepius catarrhis bronchialibus acutis affectus erat, qui remediis adhibitis paullo evanescebant, sed minimo refrigerio rursus exsistebant. Accesserunt mense Januario anni 1863 molestiae asthmaticae, quae ex ordine octo vel quatuordecim die-

bus peractis redire et nocte praecipue vehementes esse solebant. Aeger satis robustus, paullum pallidus. Exploratione thoracis physicali cognoscitur non nimium pulmonum emphysema, catarrhus bronchialis chronicus, dilatatio et hypertrophia dextri cordis ventriculi. Aegrotus inhalavit per sex hebdomades solutionem acidi tannici cum aq. laurocer, et observavit impetus dyspnoicos, qui per noctem veniebant, non modo debiliores factos esse, verum etiam plane evanuisse. Cum non quotidie inhalaret, in iis noctibus eos dies prosequentibus, quibus non inhalarat, vexationes maiores exstiterunt.

5) Emphysema pulmonum.

Femina Schaaf, 46 annos nata, ex decem annis catarrho pulmonum chronico et emphysemate laborat, quod constanter augebatur. Aegrota praecipue gravi sicca tussi et turbato somno male se habebat, sed totius corporis valetudini damnum eo non nimium factum esse videtur, cum aegrota satis sit robusta. Die 3. Apr. solutionem tannini cum aq. laurocer. primum inhalavit, quo statim tussis fiebat permagna et sputa mucosa et purulenta eiiciebantur. Quae post nonullum tempus evanuit, ut aegra non turbata inhalare posset. Jam post hanc primam inhalationem nocte minus tussi vexata meliore somno usa est. Secundum et tertium cum inhalaretur rursus tussis exstitit, sed postea non in inhalando ea vexata est, cum, priusquam inciperet inhalare, satis tussi indulsisset et sputa eiecisset. In hoc quoque casu, quum usque ad exeuntem mensem Junium inhalaretur et dyspnoea et tussis paullatim multo deminuta, somnus melior factus est.

6) Pneumonia chronica, Bronchectasiae.

Kohlig, 26 annos natus, vitrarius.

Variis remediis inhalatis nihil effectum esse videtur.

Kohlig viginti annos natus pneumonia affectus non plane sanatus tussim retinuit cum sputis mucosis et purulentis coniunctam. Dyspnoea, sudores nocturni, macies non exstiterunt. Tussis illa, aegro refrigerio tacto, ante tres annos exacerbata usque ad hunc diem non cessavit. Vexabat autem matutino tempore plurimum aegrotum tam diu, quam ingens copia sputorum purulentorum et foetidorum, initio interdum cruentorum, eiecta erat. Dolores in pectore nonnunquam sentiebantur. Symptomata quae ad febrim spectant non inveniuntur. Corpus aegroti obesum, collum breve, non tenue, glandulae cervicales tumuerunt ad magnitudinem ut nos dicimus „eines Stecknadelknopfes.“ Dextrum thoracis latus magis convexum quam sinistrum, spatia intercostalia non sulcos faciunt sed aequalia sunt costis; respiratio difficilis, costo-abdominalis. Percussione sonus redditur attenuatus et inanis in inferiore dextra thoracis parte id est in tergo, tympaniticus circum hunc locum; auditur ubi sonus inanis est respiratio bronchialis, bronchophonia, strepitus cavernosus longe disseminatus. In reliquis pectoris partibus multi rhonchi sonori audiuntur.

Primum inhalavit die 13. per 10 min. solutionem tannini sine ulla molestia.

die 14. Jan. nihil mutatum esse dicit aegrotus neque in tussi neque in sputis. 10 min.

die 18. Jan.: Expectorationem matutinam paullum faciliorem fuisse, tussim minus crebram, nocturnam quietem meliorem quam alias fuisse Kohlig existimat.

die 19. Jan. Quod heri etiam hodie animadvertisse sibi videtur; praeterea autem copiam sputorum paullo esse minutam.

Cessione inhalandi facta cum apparatum reparari necesse esset, die 26. Jan. rursus aeger per 10 min. inhalavit. Queritur hoc die se magis tussi ex quo tempore non inhalaverit esse vexatum. Continuatur die 28. et 29. Jan. sine ulla aegri conditionis mutatione. Die 30. Jan. tussis fit gravior, sputa copiosiora. Inhalatur hoc die aqua picea coniuncta cum aqua fontana; die 31. Jan. tussis quamquam non remisit, sputa tamen pauciora; die 1. Febr. et tussis et expectoratio est minuta, sed die 2. Febr. haec symptomata rursus in peiorem partem sunt conversa. Praeterea multi audiuntur in trachea rhonchi; die 3. et 4. Febr. pauca tussis et expectorationis remissio; die 8. Febr. capitis dolores queritur aegrotus, multam tussim et expectorationem. Ex quibus quum remedia adhuc adhibita bonum eventum non habere appareret, nunc aqua Kreosoti cum aq. font. (1:3) usi sumus.

die 9. Febr. postquam rursus expectoratio et tussis paullo lenita est, die 10. Febr. est exacerbata. Idem status fuit die 11., 12., 13. Febr., hoc die parva remissio fuit, illo exacerbatio.

Epicrisis:

Aegrotus, qui bronchectasiis, pneumonia chronica affectus est, tum quum in cavernis pus esset cumulatum, tam diu tussi vexabatur, quoad illud eiectum erat, quattuor fere hebdomades tannini solutiones, aquam piceam, aquam Kreosoti inhalavit. Mutatio vero conditionis fere nulla animadversa est, nam cum hoc die in melius inclinari aegri valetudo videretur, illo in peius conversa est.

7) Bronchectasiae.

Femina Naumann, 42 annos nata, antea semper bona

valetudine gavisa, complures infantes peperit, nonullos abortus fecit. Ante quattuor annos pleuritide tres vel quattuor hebdomades durante affecta ex hoc tempore retinuit tussim, dysnoeam, maciem. Sputa satis copiosa, purulenta.

Femina non nimis macie tenuata. Thoracis dextra superior pars impressa minus in respirando elevatur. Sonus hoc loco depressus, tympaniticus, respiratio bronchialis, strepitus cavernosus. Organa concoctioni inservientia nullum morbi symptoma ostendunt.

Primum die 17. Jan. inhalat solutionem tannini cum aq. laurocer.

Jam prosequentibus diebus mala sua lenita esse contendit. Cum quotidie fere inhalari perrectum esset, et initio quidem 10 min., in dies autem diutius, die 17. Febr. hoc fere evenit: Tussis multo deminuta est, nam cum antea aegrota cum per totam diem tum ad vesperem et noctu per nonnullas horas ea vexaretur, ex quo tempore inhalaverit se omnino paullulum tussi affectam per totam noctem ea liberam esse dicit. Quae matutine eiiceret eodem esse gustu quo id quod pridie inhalasset. Inhalat autem iam totam horam. Quo statu per hunc et prosequentem mensem non commutato ineunte mense Aprili refrigerio et cura diaetae non satis habita factum est, ut tussis exacerbaretur. Sed paullo in melius rursus conditio se convertit. Solutiones ammonii muriatici, aluminis, natrii chlorati, quae nonnunquam hoc tempore ad inhalandum adhibebantnr, tam moleste aegra tulit, ut inde magnum tussis stimulum exciperet, bis vomeret, matutine semper, si his remediis usa erat, valde tussiret. Mensibus Maio et Junio, cum quotidie solutiones illas tannini inhalaret, valetudo in dies melior

facta est. Tussis, cum per maximam diei partem esset nulla, neque nocte existeret, non nisi matutine per exiguum temporis spatium sese ostendebat, qua pauca sputa eiiciebantur.

Quin etiam in utroque latere sine ulla molestia cubare poterat, cum antea non nisi in sinistra potuisset. Dyspnoea in ambulando et scalas ascendendo evanuit.

8) Pneumonia exculcerans, Bronchectasiae, Morbus Brightii.

Picht, caementarius, 23 annos natus, cum iam ex pueritia saepe tussi et coryza affectus esset, mense Octobri anni 1862 refrigerio tactus tussim nactus est acerrimam, continuam, quae nocte praecipue eum vexabat, coniuncta erat cum sputis copiosis, purulentis, non cruentis. Multi in respiratione rhonchi semper ab aegroto ipso audiebantur. Cum vires contenderet, dolores in sinistro latere pungentes plerumque fixos sentiebat. Accedebant sudores nocturni, macies, dyspnoea, turbatio somni, vires in dies deficiebant. Organa concoctioni inservientia nullum morbi symptoma praebent. Pater aegroti phthisi confectus esse videtur.

Aeger obesus, genae circumscripte coccinae, thorax paralyticus, lateris sinistri praecipue superiores partes minus in respiratione moventur. In quibus percussione sonus redditur depressus, tympaniticus, in spatio intercostali primo sonus ollae fractae ("Ton des gesprungenen Topfes"). Auscultatione percipitur supra sinistri pulmonis apicem respiratio cavernosa coniuncta cum rhonchis sonoris, in tussi metallicis. Eodem loco vocalis fremitus amphoricus. In thoracis cuti pityriasis versicolor. Febris exstat non nimia.

Die 13. Jan. primum aeger cum solutionem tannini 20

min. inhalet, expectorationem esse faciliorem, tussim non tantam edicit. die 18. Jan. cum inhalari pergatur, ex quo tempore primum inhalaverit ad hunc diem statum meliorem remansisse refert, somno se usum esse dulciore, non tantopere vexatum esse tussi, doloribus pectoris, dyspnoea. Tussis interdum tanta exstiterat, ut vomere coactus esset. 20 min.

die 19. et 20. Jan. idem profitetur.

die 21. Jan. dolores pungentes in sinistro latere rursus exstiterunt. Febris paullum exacerbata est. 20 min.

Ab hoc die omnia symptomata in peius mutata sunt, tussis permulta, expectoratio copiosa, molesta, tremor articulorum, sudores magni, appetitus amissio, sitis magna; vires magis defecerunt.

die 26. Jan. non tam diu inhalare potuit aegrotus quam antea, quod infirmior erat. die 27. Jan.: Tussis et sputorum copia minuta, somnus non turbatus, febris remisit.

Item die 28. Jan.

die 29. Jan. languor adeo crevit, ut non diutius quam 5 min. inhalare posset. Additur hoc die tannini solutioni aq. laurocerasi.

die 30. Jan. propter nimiam aegroti infirmitatem inhalari non potest.

die 31. Jan.: Neque hoc die remissio exstitit magna, infirmitas magna, tussis permulta; sputa spissa, glutinosa, cum paullo sanguinis commixta, purulenta; sudor frigidus, multus, pulsus 120, dolores in larynge et in pectore. Postquam 5 min. inhalavit infirmitas fit maior. Usi sumus hoc die tinctura thebaica, neque vero postero die aegri conditio melior facta est neque insequentibus. Inhalandi fit cessio usque ad

diem 8. Febr. Iterum cum hoc die tinctura thebaica (℈ 1 in aq. font. ℥ VIII) inhalata esset eademque die 9. Febr. et die 10. Febr. non prius in melius conditio aegri se convertit ac die 11. Febr., sed iam die 12. Febr. symptomata exacerbantur. Et cum etiam die 13. Febr. parum esset inhalatione mutatum, hoc die ab hoc sanandi modo destitimus.

Epicrisis:

Aegroti, qui iam in stadium hecticum pervenit, febri erat affectus continua, in dies infirmior fiebat, ne tussi quidem inhalando et expectoratione lenita eo minus morbus rapide procedens tardari potuit. Defuncto aegroto paullo post sectione diagnosis confirmata est.

9) Tuberculosis.

Rosette Ilgenstein, 17 annis nata, cum antea semper bona valetudine usa esset ab exeunte anno 1862 tussim percepit, quae initio levior in dies augebatur, saepe nocte aegrotam vexabat. Aderant pungentes in sinistro pectoris latere dolores, sputum rarum, tum album, tum flavum, nunquam cruentum, dyspnoea continua; raucitas breve tempus exstabat, sed sponte evanuit. Reliqua symptomata inveniebantur languor, dolores artuum, macies, capitis dolores, turbatio somni, multa somnia, appetitus cibi amissio. Saepius frigore aegra tentabatur. Parentes ambo phthisi mortem occubuerunt.

Aegra quamquam adhuc satis obesa et robusta, tamen anaemicam speciem praebet. In sinistra superiore parte thorax impressus, hic fere nulla respiratio auditur, percussione sonus redditur attenuatus et aliquantum tympaniticus; rhonchi sonori audiuntur. Febris non nimia exstat.

Per tres fere hebdomades cum aegra solutiones tannini

cum aq. laurocer. inhalasset neque per hoc tempus neque postea minima in eius conditione commutatio facta est, imo etiam id desideratur, quod omnes fere alii, qui hydroconio utebantur, dicebant, eam post primam vel secundam inhalationem melius se habere putasse.

10. Tuberculosis.

Hahn, tornator, 26 annos natus, meningitide iam anno vitae 12. affectus ante unum et dimidium annum pleuritide laboravit, quae magnum pleuriticum exsudatum protulit. Ex quo tempore tussim aliquamdiu retinuit sine magnis molestiis. Ante unum annum tempus fuit, quo valde languebat, sed tum nullum aliud morbi symptoma exstitit. Robustior rursus factus tussi ante tres hebdomades affectus est, sputa eiiciebat flava et viridia, dolores et pectoris laryngisque querebatur et capitis, somno utebatur turbato, appetitum cibi demisit, languescebat.

Aegrotus invalidus et infirmus, genae circumscripte coccinae, collum longum, tenue, tonsillae et pharynx rubrae, vox rauca, thorax paralyticus. Fossa supraclavicularis dextra profundior sinistra. Physicali exploratione nihil invenitur nisi sonus in dextro superiore pectore et tergo attenuatus; vox ibi fortior, respiratio summissa. Inhalationes fiunt a die 19. Jan. usque ad diem 13. Febr. Adhibetur tanninum cum aq. laurocerasi, tct. thebaica, liq. ferri sesquichlorati. Quibus quoties melior fieri aegri conditio videbatur toties in peius mutabatur. Tussis eadem remansit, expectoratio semper parca neque levata neque copiosior facta, appetitus non correctus, languor non sublatus est.

Et hic quidem et puella illa, de qua supra diximus non longum post tempus mortui sunt.

11) Tuberculosis.

Christiane Blossfeld, 24 annos nata, cum ante duos annos pneumonia affecta fuisset, ab hoc tempore non plane restituta est.

Remanserunt dyspnoea et tussis, sputa satis copiosa mucosa et purulenta; exstitit tussis praecipue nocte. Diarrhoea et aliae ut nos dicimus „colliquative Erscheinungen" non exstiterunt. Appetitu fere omnino caret. In sinistra superiore thoracis parte paullum retracta percussionis sonus est depressus. Audiuntur spiritus bronchialis, rhonchi consonantes, bronchophonia.

Aegra cum decies vel undecies tannini solutionem cum aq. laurocer. inhalaret, semper inhalando dyspnoeam esse imminutam, nocturnam quietem minus tussi turbatam affirmabat.

12) Tuberculosis pulmonum.

Müller, 37 annos natus, lapidarius, ab anni dimidio aegrotat. Primum exstitit haemoptoë non nimia, tum dyspnoea, dolores iu sinistro latere pungentes, tussis, quae praecipue matutino tempore erat, qua sputa pauca, purulenta, lenta, in quibus non inveniri poterant fibrae elasticae, eiiciebantur. Abdomen organaque in eo contenta nullum valetudinis imminutae symptoma afferunt. Speciem aegrotus praebet cachecticam, maciem modicam; collum longum, thorax paralyticus; dextra eius superior regio retracta minus in respiratione elevatur.

Percussione hoc loco cognoscimus sonum attenuatum, auscultatione spiritum incertum („unbestimmtes Athmen"). Rhonchi praeterea parci et ut nos dicimus „gleichblasige." In omnibus vero ceteris regionibus respiratio ut est in sano.

Cum solutionem acidi tannici coniunctam cum aq. laurocer. aeger inhalare coepisset ultima Martii mensis hebdomade et perexisset usque ad Junium mensem finitum effecta esse invenimus haec:

Jam primo tempore qno aegrotus inhalabat, tussis et expectoratio deminuta est. Neque vero in futuro aequaliter sic status in melius convertebatur, nam et cum causae inveniri non possent, et cum refrigeriis catarrhi acuti intercederent, saepius status melior factus in peius mutabatur. Nihilominus

tempore quod supra diximus mensium trium et hebdomadis peracto negari non potuit, melius aegrum se habere quam antea, cum et tussis, expectoratio, dyspnoea, dolores multo essent minuta, et tota aegri conditio magis valetudini appropinquare videretur. Restat ut commemoremus, aegrum nonnunquam cum acutis catarrhis esset affectus, aliis quoque remediis usum esse.

13) Catarrhus bronchialis (Tuberculosis incipiens?)

Pritzelwitz, 30 annos natus, „Eisenbahnbeamter", qui saepius catarrhis bronchialibus affectus ex huius anni initio tussim continuam e refrigerio cepit, coniunctam cum sputis copiosis, purulentis, quibus interdum nonnullae sanguinis striae admixtae erant, ab ineunte mense Februario a nobis in curam receptus est. Cum dyspnoea satis magna vexaretur, in dies se macescere diceret, nocte sudaret, vires amitteret, in mentem nobis venit, eum forsitan tuberculosi incipiente affectum esse, quamquam physicali thoracis exploratione nihil nisi sonus in superiore sinistri pectoris parte paullulum depressus et rhonchi ubique pectoris reddebantur. Cum remediis intus datis non multum esset perfectum, hydroconio eum uti iussimus.

Die 3. Martii inhalat solutionem tannini cui admixta est aq. lauroc. per 15 min. Pausari bis necesse est. Breve tantum tempus tussiendi stimulum eo percipit. Refrigerationem usque in profundum pectus se sentire dicit.

Jam proximo die aegrotus tam bene se habere profitetur quam nunquam ex morbi initio. Tussim et expectorationem multo esse minutam, sputa facillime eiecta esse. Prosequentibus diebus cum quater omnino inhalasset, tussim fere omnino evanuisse, vires auctas esse, animi tristitiam resolutam esse edicit. Omittere vero non possumus, hominem temperamento valde sanguinico esse.

Occasione nobis data eum mense Augusto videndi, hilarem, alacrem, robustum invenimus.

14) Ulcera lanyngea.

Ziermann, 39 annos natus, disciplinae publicae administer, qui antea semper bona valetudine usus erat, initio huius anni e refrigerio raucitatem cepit, quae paullatim adeo aucta est, ut plane vox evanesceret. Tussis erat exigua, sputum nullum, dolores pungentes in larynge. Pulmones hominis robusti plane esse intactos physicali exploratione demonstratur. Lanyngoscopia duo ulcera in cartilaginibus arytaenoideis esse invenimus. Forsitan id commemorationi dignum est, quod infans huius viri tuberculosi miliari communi confectus est.

Ex die 15. Jan. aeger fere continuo usque ad incipientem mensem Junium primum tannini tum aluminis solutionem inhalavit, et per maiorem quidem illius temporis partem non solum quotidie, sed bis per diem. Et iam post nonnullos dies ulcera meliorem praebuerunt adspectum, et dolores remiserunt. Cum inhalando desisteretur, aeger quamquam non voce utebatur tam clara quam antea, tamen distincte loqui poterat, cum ulcera fere omnino essent sanata. Omittere vero non debemus aegrum non hac ratione sola esse tractatum, sed nonnunquam ulcera argento nitrico adusta esse, ammonium muriaticum, morphium aceticum intus aegrum sumsisse, initio cataplasmatibus usum esse, quae nos dicimus: „Priessnitzsche." Itaque quantum in hoc viro valuerit hydroconicum, quantum reliqua remedia, diiudicandum est difficilius.

15) Pertussis.

Antonie Gaunitz, 5 annos nata, iam per octo hebdomades tussim convulsivam perpessa est, qua symptomata quae solent afferebantur. Interdum vomitum et haemorrhagias ex naribus fuisse, nocte per quatuordecim dies eam non dormivisse, appetitu cibi caruisse, macie confectam esse mihi affirmatum est. Inquisitione objectiva invenimus ut nos dicimus: „verschärftes vesiculäres Athmen mit ungleichblasigem Rasseln," sonum nusquam depressum, respirationem non accelera-

tam, cyanosin faciei exiguam, palpebras paullulum oedematosas, sputa flava, glutinosa, non copiosa.

Cum primum die 14. Maii solutionem Ammonii muriatici (℥ I in aq. ℥ VIII) inhalasset, nulla varietate animadversa, die 16. Maii, cum etiam die 15. esset inhalatum et solutioni Morphii acetici paullulum esset admixtum, aegra optime dormivisse, non tam saepe vomuisse refectur. Hoc die cum in ammonii loco alumen posuissemus, die 17. Mai numerus tentationum, qui ante fuerat 18, usque ad 15 redactus est, die 18. Maii usque ad 12. Eodem modo cum pergeretur tussis magis magisque evanuit, ut initio mensis Junii morbus ad finem perveriret.

16) Pertussis.

Friederike Gaunitz, 8 annos nata, ex eodem tempore, ex quo de qua diximus soror, pertussi affecta initio quidem inhalandi eodem modo convalescere videbatur. Postea vero cum iterum iterumque aegrae conditio in peius converteretur in opinionem venimus tuberculosi vel pulmonum vel glandularum bronchialium eam affectam esse. Et quamquam usque ad exeuntem mensem Junium inhalarat, valetudo non restituta est, eodemque trmpore primum pulmones affectos esse demonstrari potuit. Iisdem ad inhalandum usi sumus remediis quibus iu sorore, praetere avero etiam tannini cum aqua lanrocerasi solutione.

17) Pertussis.

Emilie Vogt, $5^1/_2$ annos nata, cum iam ante saepe tussi affecta esset, ex sex hebdomadibus tussim convulsivam cepit. Tentationes eius circiter septies decies per diem evenire solebant, nec non per noctem. Vomitus non semper, sed saepe iis aderat. Sputa initio erant parca, viscida, mucosa, ex tribus autem hebdomadibus copiosissima, flava, purulenta, magnis in massis. Sanguinis striae interdum admixtae erant et semel maior massa. Haemorrhagiae ex naribus non exstite-

runt, glandulae lymphaticae non tumuerunt. Dolores pectoris magni erant, dyspnoea, macies ex sex illis hebdomatibus exstitit. Sudor permultus nocturnus, somnus turbatus, non diarrhoea.

Percussione et auscultatione invenimus, hepar usque ad septimam costam depressum esse, rhonchos ubique pulmonum audiri, sonum in dextra superiore thoracis parte altiorem et attenuatum esse, fremitum vocalem fortiorem.

Puella infirma, cuti tenera. Thorax planus, et in dextra quidem superiore parte magis quam in sinistra, in illa minus respiratione elevatur.

Inhalatur tannini solutio admixta aqua launocerasi a die 24. Junii.

die 25. Jun. Tentationum numerus fuit idem, ter aegra vomuerat.

die 26. Jun. 16 solum tentationes; neque noctu illae evenerant, neque aegra vomuerat; sputa parciora, mucosa facta sunt.

die 27. Jun. 15 tentationes; bis aegra vomuerat, somno usa erat bono.

die 28. Jun. 16 tentationes, quarum rursus fortiorum tres etiam noctu exstiterant, sputa rursus copiosiora, paullulum purulenta. Vomitus non evenerat.

die 29. Jun. 15 tentationes leviores, non nocte; somnus bonus, vomitus desideratur, sputa copiosa, alba, spumosa.

die 30. Jun. 13 tentationes, die 1. Julii 11. Appetitus cibi in dies crescit. Post octo dies tussis plane evanuit.

18) Pertussis:

Vally Oeffner, $2^1/_2$ annos nata, recenti tempore pertussi affecta est tam gravi, ut fere 20 tentationes per diem essent, somnus fere nullus.

Die 18. Maii inhalare cum coepisset iam die 7. Junii in

valetudinem restituta est. Et inhalavit quidem initio aluminis solutionem, tum tannini cum aq. laurocerasi.

19) Pertussis.

Anna Menzel, 5 annos nata, proximo tempore tussim convulsivam ceperat et 12 fere tentationibus per diem vexabatur, saepe vomebat. Cum iam post primam inhalationem numerus tentationum ad 8 esset minutus, postea rursus auctus est, quod aegra non satis refrigerationes verebatur. Sed cum severe esset praescriptum, ut, si tempestas mala esset, in domo maneret, paullo post inhalando ita melior aegrotae conditio facta est, ut die 17. Junii, cum tres fere hebdomades hydroconio usa esset, inhalationibus desisti posset, valetudine omnino restituta. Et in hoc quidem casu primum aluminis, tum tannini cum aq. lauroc. solutione utebamur.

Puellae vero hae omnes 5 min. quotidie inhalare solebant.

Nunc cum breviter comprehendamus ea, quae maximi momenti sint in tractatione nostra, quibus quamvis exiguam partem ad id illustrandum conferri arbitramur, quanti sit de qua diximus curandi ratio aestimanda, reliquum est ut haec dicamus:

Omnino inhalarunt aegri 19; affecti autem erant emphysemate et tentationibus asthmatiris 5, tuberculosi seu incipiente seu progressa 6, cavernis bronchectaticis 2, tussi convulsiva 5, ulceribus laryngeis 1. Quorum apud omnes, qui emphysemate laborabant, aliquid effectum esse videtur, neque non apud eas, quae tussi convulsiva, puellas, uno excepto casu, ubi tuberculosis tussim convulsivam complicavit.

Eorum vero, qui tuberculosi affecti iam in stadium hecticum venerunt, nulla conditionis commutatio inhalando facta est; nulla quoque alterius eorum, qui bronchectasiis affecti erant. Sed cum feminae, quae etiam, quamquam multo minore gradu, bronchectasiis laborabat, aliquid profuisse inhala-

tiones videntur tum iis, apud quos tuberculosis erat incipiens. De viro autem, qui ulcera laryngis habebat, nihil certe, ut iam supra diximus, diiudicandum est, cum non hac sola ratione curatus esset.

Cum vero dicamus, aliquid effectum esse inhalationibus, longe absumus quin iis assentiamur, qui hydroconium summis laudibus efferentes non satis gloriari possunt, quantum eo effecerint. Et nos quidem saepius commoveri potuissemus, ut nimias ei sanandi rationi laudes tribueremus, si ex iis iudicare voluissemus, quae aegroti initio inhalandi edicebant; nam fere omnes, rei novitate permoti, initio in magna spe erant, fore ut in valetudinem restituerentur. Neque vero iis quae experti sumus commoveri possumus ut, id quod nonnulli faciunt, plane hydroconii utilitatem negemus.

In iis casibus, qui ad bonum eventum perducti sunt, id maxime animadvertendum est, expectorationem facilius fieri, tussim et dyspnoeam deminui, somnum minus turbari solere. Tentationes quoque asthmaticae optime hoc modo curabantur nam in omnibus casibus eas vel multo levatas et copiam earum minutam vel omnino sublatas esse videmus, et cum unaquaque tentatione pulmonum emphysema augeri constet, iure contendere nobis videmur, inhalationibus prohiberi quominus emphysema longius progrediatur. In eiusmodi autem casibus, cum nulla alia curandi ratione eodem modo tentationes deminutas esse invenerimus, hydroconio aegre careamus. Sed quantum nos quidem experti sumus, negare non possumus, per longum tempus, fortasse per totam reliquam vitam, hydroconio aegrotos uti necesse esse, ut bona conditio inhalationibus effecta remaneat. Molestias tuberculosis incipientis multo esse inhalando levatas ex tribus casibus quos observavimus perspicuum est. In his quoque tussis, dyspnoea, expectoratio difficilis levata est. Quorum unus, quem quartum in medium protulimus, tam celeriter praeter omnem opinionem se in me-

lius convertit, ut, si illud plane percipere volumus, ad sanguinicum hominis temperamentum nobis recurrendum esse arbitremur. Ut iam in singulis casibus explicatis dictum est, hoc loco repeti liceat, in tuberculosi iam in posteriora stadia progressa nihil hydroconio esse effectum, neque irritationem membranarum pituitariarum esse remotam, neque illud ullo ad totum morbum sanandum momento fuisse, id quod sperare praeter rationem esset. In tussi autem convulsiva satis utilem hanc curandi rationem fuisse cum ex aliis tum ex eo casu apparet, quo puella iam per octo hebdomades pertussi affecta inhalationibus satis brevi tempore ea liberata est, cum pertussim, quae tam diu exstiterit, malum esse pertinacissimum omnes sciant. Neque omittere debemus, semper vomitum, quo antea infantes vexarentur, statim initio inhalandi evanuisse, et quietem nocturnam, valde antea tentationibus turbatam, paullo bene esse restitutam.

Nos autem in iis quae nunc, et in iis potissimum, quae de emphysemate et tuberculosi progressa hydroconio curando diximus, non soli sumus, sed consentimus cum nonnullis, qui de eadem re experimenta fecerunt, ut doctor Wedemann Jenensis, doctor Schnitzler Vindobonensis.

Sin autem nobis denique dicendum est, quomodo hydroconii effectus intellegendus sit, non minus respirationem in eo profundam, aequalem, quam remedia ipsa ad inhalandum adhibita valere arbitramur. Illa enim fit, ut sanguis aequaliter in pulmonibus distribuatur neve in invalidis eorum partibus cumuletur, nec minus ut symptomata in aliis organis minuantur vel evanescant, quae ex eo pendebant quod nos dicimus: „venöse Stauung."

De remediis singulis in singulis casibus adhibendis doleo quod paullulum expertus sum. In omnibus fere casibus, in quibus quid effectum est, acido tannico aegros usos esse invenimus et semper fere in solutione cui aqua laurocerasi

erat admixta, et nunquam quid damni ex hoc remedio aegros percepisse. Salia autem, quae adhibuimus, alumen, ammonium muriaticum, natrium chloratum tum bonum effectum habere tum damnum afferre videbantur, et idem dicendum est de narcoticis, quibus usi sumus, remediis, Opio et Morphio, quae, quamquam hic dolores leniebant, tussim deminuebant, illic magnas ad caput ferentes congestiones faciebant. Quibus praeterea usi sumus remediis, liquore ferri sesquichlorati (quamquam illo non in haemorrhagiis), aqua Kreosoti, aqua picea, Benzoë, de eorum utilitate nihil experti esse nobis videmur.

VITA.

Natus sum, Richardus Ernestus Siegfriedus Lambrecht, die II mensis Januarii a. h. s. XLI Brandenburgi, patre Carolo medicinae doctore medico practico, matre Alina e gente Weber, quos iam ambo mortuos plango. Fidem profiteor evangelicam. Primis litterarum elementis Brandenburgi imbutus a. XLIX h. s. gymnasio eiusdem urbis traditus sum, quod tum florebat et adhuc floret directore Braut, unde maturitatis testimonio instructus mense Octobri a. h. s. LIX civibus huius academiae adscriptus ab Ill. Erdmann tunc rectore magnifico, apud Ill. Volkmann illus temporis decanum spectatissimum nomen professus sum medicinae studiosi. Per quadriennium hisce interfui scholis: Ill. Volkmann de anatomia et physiologia; Ill. Girard de mineralogia; Ill. de Schlechtendal de botanice; Ill. Knoblauch de physice; Ill. Heintz de chemia organica et anorganica; Ill. Burmeister de Zoologia; Doct. Allihn de logice; Ill. Schaller de psychologia; Cel. Welcker de histologia; artem cadavera rite dissecandi me docuerunt Ill. Volkmann et Cel. Welcker; Ill. Vogel de encyclopaedia medicinae, de pathologia et therapia speciali, de anatomia pathologica; beat. Hohl de arte obstetricia; Ill. Krahmer de pharmacologia et medicina forensi; Ill. Blasius de chirurgia, akiurgia, de arte fascias rite applicandi; Doct. Mann de percussione et auscultatione; Cel Olshausen de mulierum morbis; operationes chirurgicas Ill. Blasius, obstetricias Doct. Franke me docuerunt. In clinicis duces illustres mihi fuerunt: In clinicis medicis Ill. Weber; in clinicis chirurgico- ophthalmiatricis. Ill. Blasius; in clinicis obstetriciis Cel. Olshausen.

Quibus omnibus viris optime de me meritis summas habeo gratias.

Jam vero cum tentaminibus et philosophico et medico tum examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur. —

THESES.

I.

Venaesectione initio pneumoniae facta interdum morbus praecidi posse videtur.

II.

Contusiones plerumque non antiphlogistico modo, sed remediis excitantibus sunt curandae.

III.

Negari non potest, hydroconii usum in nonullis morbis earum corporis humani partium, quae respirationi inserviunt, bono esse effectu.

IV.

Carcinomate uteri neque abortus neque partus praematurus artificialis indicatur.